sas. Et iterꝝ Ecc̄.xxxj. Btūs vir q̄ nō spauit in thesauris pecunie. videlicet quos per manus amicorū relinqueret post mortē dispergendos sed sperauit in deū qui eum in tribulatione liberauit ⁊ non dereliquit. Quarto ostēdit deus dilectionem suam in hoc ꝙ nobis temperat voluptatem plurime affluentie vnde.ij. Thessal.ij. Dilexit nos ⁊ dedit consolationem eternaꝫ que ⁊ quanta sit sancti exprimere nitūtur et nō possunt. Augustinus de moribus ecclesie. Quanta inquit est pulchritudo iusticie. tanta est iocūditas leticie et lucis. hoc est immutabilis veritatis atq; sapientie vt etiam si non liceret in ea manere amplius q̄ vnius diei hora. propt̄ hoc solum innumerabiles anni huius vite pleni delitijs ⁊ circumfluentia bonorum temporalium recte meritoq; contemnerentur. Et Chrys. de reparatione lapsi. Et continue inquit oportet tormenta p̄ferre si ipsam gehennam paruo tempore tollerarem pro eo vt christum possemus videre in gloria venientem numero sanctorum sociari. Nonne erat dignum pati omne quod ē triste modo. vt tanti boni tanteq; glorie participes haberemus? quasi diceret. sic. ad quaꝫ gloriam perducat.

Feria tertia Penteco.
Sermo primus.

Spirit⁹ tuus bonus deducet me in terram rectaꝫ. ps̄.cxlij. Plini⁹ in spe.na. li.viij.c.v. Si elephas hoīem errātē sibi obuiū viderit in solitudine p̄mum ne ipsum terreat aliquantulum de via se subtrahit ⁊ tunc graduꝫ figit ⁊ paulatim ipsum p̄cedens viā ei ostendit. et si draco ei occurrerit pro homine defendendo cū eo pugnat ⁊ virilit̄ se opponit. ⁊ hoc potissimum dicitur facere quando habet iuuenes. Timet enim ꝙ homo querat fetus suos. ⁊ ideo se de homine primo expedire desiderat. vt sic securius possit filios suos. et eo cautius custodire. Moraliter per elephantem quod est animal magnum intellige prelatum qui est magnus in dignitate. quia dicit Innocen. tertius de maio. ⁊ obedientia. ad Constantinum imperatorem ca. Solite. Quanta inter solem ⁊ lunam tanta inter pontifices ⁊ reges differentia cognoscat̄. vbi dicit glo. Cum terra sit septies maior luna sol autem occies maior terra. restat vt pontificalis dignitas quadragesies septies sit maior regali dignitate. In qua glo. laurentij notatur maioritas prelatorum. Isti enim prelati si viderint errare homines in solitudine huius mundi debent eos benigna monitione precedere. et in viam rectam reuocare vel eis viam veritatis ostendere. Quia dicit Innocen. dist.lxxxiij.c. error. Error cui non resistitur approbatur. et veritas cuꝫ minime defensatur opprimitur. Sꝫ spiritualiter per elephantem subaudi spiritum sanctum propter proprietates eius. Est enī elephas animal valde benignum. quia caret felle vt dicit Aristo. ita spiritussanctus est benignus Sap̄.j. Spiritus sapientie benignus est. Nam licet in principio nobis cum quodā terrore appareat. tamen statim post vel in eodem momento nobis suam presentiam spiritu benignitatis atq; lenitatis contemperat. Sicut figuratum ē Hester.xv. Quod hester cuncta ingressa per ordinē hostia vbi ille sedebat in solio regni indutus vestibus regijs auro fulgens. eratq; terribilis aspectu. cūq; eleuasset rex faciem ⁊ ardentibus oculis furorem pectoris indicasset regina hoc videns corruit in pallorem colore mutato lassum super ancillam caput inclinauit. Conuertitq; deus spiritum regis in mansuetudineꝫ ⁊ festinans exiliuit de solio ⁊ sustentans eaꝫ vlnis suis blandiebat̄ ei. Tunc illa ait vidi te domine quasi angelum dei et conturbatum est cor meum pre timore glorie tue. Ac rex consolabatur eaꝫ. Per reginam hanc potest intelligi quelibet fidelis anima spiritussancti consolationeꝫ postulans que in principio sue visionis pre timore diuinitatis glorie aliquo terrore concutitur. Sed mox blanda lenitate diuinitus consolatur et immutatur in elephantem qui a via se subtrahit ne hominеꝫ terreat. Et sicut elephas precedit hominem et viam ei ostendit. Sic et spiritussanctus sua benignitate nos precedit et viam salutis ostendit. Nam signatur per columnam nubis que precessit filios israel in deserto de qua Nee.ix. Columna nubis non defuit eis per dies vt duceret eos in viam. Et non solum precedendo nos viā veritatis demonstrat. Sꝫ etiam more elephantis contra draconem infernalem pro nobis pugnat. quia non est alius qui pugnat pro nobis nisi tu deus noster. vt canitur. Et ideo quilibet christianus dicere potest ad deum patrem. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectaꝫ. In quibus verbis duo tangit. Primo spiritussancti bonitatē ibi. Spiritus tuus bonus. Secundo eiusdeꝫ spiritussancti vtilitatem ibi. deducet me in terrā. Quo ad primū ē notandū ꝙ bonitas spiritussancti apparet in multis. Primo ex anime viuificatione quia absq; spiritusancto anima viuere non potest etiam ad momentum sicut nec sine anima viuere potest cor nostrum. Quod autem spiritussanctus viuificet spiritualiter oñdit Ezech.

xxxvij. vbi legitur q̃ spiritus eduxit Ezechielē in medio campi plenum ossibus mortuorum et erant sicca vehementer. ⁊ dixit ei. fili hominis putasne viuent ossa ista? Et subditur. Ecce ego mittam in vos spiritum ⁊ viuetis ⁊ dabo super vos neruos. et succrescere faciaz super vos carnes. ⁊ ego extendam super vos cutem et dabo vobis spiritum ⁊ viuetis. ⁊ factus est sonit⁹ ꝓphetante Ezechiele ⁊ ecce commotio. ⁊ accesserunt ossa ad ossa vnumquodq̃ ad iuncturam suam ⁊ super ea nerui ⁊ carnes et ascenderunt et extensa est in eis cutis ⁊ spiritum non habebāt. Et dixit dominus ad Ezechielem vaticinare et dices ad spiritum a quattuor ventis veni spiritus ⁊ insuffla super interfectos istos et reuiuiscant ⁊ ingressus est in ea spiritus et vixerunt. Moraliter hic tanguntur aliqua necessaria vt spiritualiter anima viuificetur. Primum est tribulatio ⁊ afflictio quā imittit spiritussanctus. ⁊ hoc tangitur cum dicitur. dabo super vos neruos. vbi per neruos intelligit tribulatiōes. Juxta illud. ij. Paral. xvj. Et Hiere. xx. Jussit euz mitti in neruum. id est. in duram tribulationez vel afflictionem. ⁊ hec iuuat ad viuificationem animarum. sicut pulchre declarat deuot⁹ Amādus in ho. sa. li. j. c. xiij. O q̃ innumeri somno peccatorum profundissimo obdormierūt ⁊ morte spirituali perierūt. quos infelix obsorbuerat iniquitas qui adueniente gratia diuine correctionis velut de somno graui ac mortis imperio excitati vitam in melius commutauerunt. Secundum est corporalis corruptio. ⁊ hec tangit̃ cum addit. et succrescere faciam super vos carnes. vbi per carnes intelliguntur corruptiōes carnales. que etiam faciunt ad viuificationem animarum. Cum enim homo peccator cogitat se moriturum ⁊ corpus suum a vermibus corrupturum a peccato quod mortem anime infert vtiq̃ resurget. Juxta illud quod dicit Bernā. in floribus. Si nō timor dei saltem metus mortis tue doloraq̃ gehenne retrahit a delicto. ideo dicit Sapiēs Eccli. vij. Memorare nouissima tua et in eternum non peccabis. Tertium est virtutum induitio. ⁊ hoc tangitur cū dicitur. Et ego extendam in vobis cutem. vbi per cutem intelligit quamlibet virtutem. quia sicut corpora ornant cutes. sic ⁊ virtutes ornant animas vt dicatur de qualibet anima virtutibus induta vel ornata. Juxta illō pſ. xliiij. Astitit regina a dextris tuis in ve. deau. circū. vari. id est. virtutuz multiplicitate. Et cū hec tria habuit vestra anima videlicet neruos tribulationis. carnes corporalis corruptionis. et cutem virtualis induitionis. tunc datur spiritus ei vt spñaliter viuat

Et nota spiritussanct⁹ datus anime quattuor in ea facit. que facit anima corpori. Primo enim anima preseruat corporis decorem. quia videmus q̃ sine anima corpus est pallidum nigrum ⁊ difforme. Sic anima non habet decorem conscientie nec colorem conuersatiōis sancte ⁊ honeste sine gratia spiritussancti. Sed per eiꝰ aduentum renouatur ⁊ ornatur. ideo petit dauid pſ. ciij. Emitte spiritum tuum ⁊ creabuntur. et renouabis faciem terre. i. hominis terreni. cuiꝰ facies potest dici anima ad imaginem dei facta imo verius creata. Secundo anima nutrit naturalem calorem quia q̃diu est in nobis anima nostra tam diu est calor ibi. Sed anima recedēte corpus frigescit. Ita spūssanctus nutrit in nobis calorem diuine charitatis. Juxta illud ad Roma. v. Charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritū sanctū qui datus est nobis. Tertio anima confortat virtutem corporalem quia sine anima subsistere corpus nequaq̃ pōt. sic ⁊ spūssanct⁹ confortat infirmitatem nostraz Quarto corp⁹ sine anima motu caret. Sic anima sine spiritusancto nec moueri in virtutibus potest nec eas operari. Sed adueniente spiritu sancto exibit homo de virtute in virtutem. donec videbit deum deoz in sion. Jo pſ. lxxxiiij dicit dominus. dabit benignitatez. id est. bonā ignitatem siue spiritumsanctum ⁊ terra nostra dabit fructum suum. Secūdo apparet bonitas spiritussancti ex sua consolatione. ⁊ hec fit tripliciter Primo temptationem mitigando quia si spiritussanctus non fuisset cum martyribus ⁊ temptationes eorum penales mitigasset. nullꝰ ipsorum tantam penam sustinere potuisset. sz in temptatione defecisset. Sed ille erat cum eis q̃ ait. Esa. xliij. Cum transieris per aquas tecum ero et flumina non operient te. cum ambulaueris in igne non comburetis. Sicut patet de tribus pueris Dañ. iij. ⁊ de multis alijs martyribus qui licet in igne animas deo reddiderunt. corpora tamen ipsorum inusta permanserunt. Secundo spiritussanctus ꝓsolatur virtutē temptationibus resistendi tribuēdo. Quia. j. Cor. x. dicit. Fidelis deus qui non patietur vos temptari super illud quod potestis. Sed faciet cuz temptatione preuentum vt possitis sustinere. id est. temptationibus preualere. Et Aug⁹. super pſ. diabolus inquit plerūq̃ vult nocere. Sed non potest quia potestas eius est sub potestate dei. Nam si tantum posset nocere quantum vellet. nec aliquis iustorum remaneret. Cui cōcordat illud Isi. de sum. bo. Nō amplius temptat electos diabolus nisi q̃diu voluntas dei permittit. Ideo dixit christus discipulis suis Luc. vlt. Sedete in ciuitate donec induamini virtute exalto scilicet ex aduentu spūssancti. Tertio

Feria tertia pentecostes

consolatur spiritussanctus dulcedinem infundendo. quia Eccli. xxiiij. dicit. Spus meus super mel dulcis. Et Sap. xij. O q̃ suauis et bon⁹ est domine spiritus tuus i nobis. Si quis hac dulcedinez semel gustauerit de dulcedine mūdi nō curabit. Juxta illud Greg. Gustato spiritu desipit omnis caro. Ideo dicit Bern. quē nō temptabit dulcedo illa que mortem facit dulcissimā Et Rich. de san. vic. Quod est cor tam lapideum vel durum q diuina presentia benignitate
¶ nō emolliat ⁊ sua dulcedine non alliciat ¶ Certio bonitas spiritussancti est ex gratie infusione quia ipse est torrens inebriās electos suos plenitudine gratie. Sicut patet de apostolis quos adeo adipleuit sua gratia vt a iudeis musto pleni putarentur Act. ij. ⁊ hoc predixit dauid ps. xxxv. Inebriabunt ab vbertate domus tue et torrente voluptatis tue potabis eos. Quod exponit Amb. dicens. Dom⁹ hec ecclesia ē vbertatis domus. redundantia gratiarum. torrens voluptatis spiritussancti. quasi diceret. hi qui sunt in ecclesia dei inebriantur ex vbertate gratiarum ⁊ spūssanct⁹ potat eos torrēte voluptatis. Et subdit Amb. Cessauit hic torrens i populo iudeorum. quia erat illa plebs fide arida sterilis operibus captiua peccatis. Quod enim fluere non bibentibus. Sed contaminantibus sacros meatus cū ipsum fontem negarent. Torrens ille istis cessauit vt nobis abundaret et sitim humane captiuitat⁹ auerteret. sicut torrēs in austro. Et subdit. hic est ille torrens voluptatis quem in Gen. legimus fontem qui inundat paradisum ⁊ diuiditur in quattuor flumina que circūeunt totam terram. Ex hoc etiā fonte virtutes profluunt spūales. prudentia. temperantia. fortitudo. ⁊ iusticia. Bonus fons gratie et splendoris eiusdem atq̃ nature. Qui⁹ ⁊ illud flumen est. de quo in ps. xlvij. dicit. Fluminis impetus letificat ciuitatē dei. hec Amb. De hoc fonte spiritussancti exquo haurimus aquas gratiarum. dicit ps. xlj. Quemadmodū desiderat ceruus ad fontes aquarum. ita desiderat ad te anima mea deus. Ad hunc fontē debet quilibet nostrum currere. quasi ceruus nō sitiens venena serpentum. sed viuam aquam gratiarum. q̃ mētis interna inundantur. peccata lauantur. ⁊ occ
O cultorum errores mundātur ¶ Quarto apparet bonitas spiritussancti ex gratie sbtractiōe. Sicut enim ex bonitate sua nobis gratiam infundit. sic ex eadem bonitate nobis gratiam interdum subtrahit. ⁊ hoc facit ꝓpter multas causas. Prima vt propria confidentia euitetur. Si enim homo semper haberet gratiam spiritussancti posset de sua sanctitate confidere. et se cū nihil sit aliquid esse reputare cum dicat ps. viij Quid est homo q memor es eius aut filius hominis quia reputas eum. quasi diceret. nihil est nisi cinis ⁊ puluis. Qui ergo reputat se aliquid esse cum nihil sit seipsum seducit. ideo sancti et electi homines q̃to perfectiores sunt tanto humiliores existunt. Sicut abraaz qui dixit Gen. xviij. Loquar ad dominum cum sim cinis ⁊ puluis. Et sanct⁹ Paulus qui ait. j. Cor. xv. Gratia eius in me vacua non fuit. id est. carens bonis operibus. postea dixit se primum inter peccatores. j. Timo. j. Christus iesus venit i hunc mundum peccatores saluos facere quorum primus ego sum. intellige inter illos qui de peccato ad gratiam reuocant. quia hec reuocatio fuit in paulo valde mirabilis propter quod ecclesia eam solennizat. ⁊ sic li primus excellentiam notat vocationis. Et siliter legit de btō Francisco qui dixit se esse maximum peccatorem totius mūdi. ⁊ hoc contingit ex eo q q̃to seipos recognoscūt. tanto magis se indignos deprehendunt. Juxta illd Greg. iij. moral. Sci viri quo altius apud deum virtute dignitatis pficiūt. co subtilius se indignos esse deprehendunt. qz dū ꝓpinqui luci fiunt quicquid eos in seipsis latebat inueniunt. ne ergo bonus homo cadat in spūalem superbiam que aliqnando peior est et magis nociua q̃ secularis pompa. ideo deus aliq̃ndo subtrahit sibi gratiam spiritualemq̃ consolationem. Et etiam ne homo credat a seipso habere illam gratiam vel ex meritis suis. Sed vt cognoscat q illa gratia detur sibi ex sola spiritussancti bonitate ⁊ liberalitate ⁊ non ꝓpē sua merita. Nam minimam guttā bonitatis dei nō possumus mereri a nobisinetipsis. Secūda causa vt homo comprobetur. Vult enim spiritussanctus interdum gratiam subtrahere ab homine volens eum probare vtrum velit abire ⁊ consolationem a creaturis querere quando consolationem non potest ab eo habere. sic probat spōsus fidem ⁊ dilectionem sue sponse. verbi gratia. vt mercator simularet se ire ad nundinas ⁊ absconderet se in domo volēs videre que vxor faciat eo absente vel quid loqui de eo velit. vel si de recessu eius doleret vl de reditu gauderet Sic spiritussanctus aliquādo tardat venire cum dulcedine gratie sue vt sic probat constantiam fidelis anime an velit alium virum accipere eo absente vel velit se propter eum ab adulterio spirituali continere. id est. an velit consolationem alienam a creaturis querere vel si velit libenter sine consolatione esse. vel vtrum velit firmiē stare et non ab eo recedere. Si autem querit anima consolationem a creaturis postq̃ diuinam amisit facit sicut mulier que absente viro proprio ad alium se transfert. ideo debet facere sic

turtur. De quo dicit phisolog⁹. Turtur inane nescit amare. amisso nãq; pare non vult habere parem sed semper gemit. Sic et homo grã et consolatione spiritussancti priuatus debet semper gemere donec redeat semp expectare. Tertia causa vt homo in timore confirmetur. timere enim debet ne forte sponsum suum scz christũ vel spiritumsanctum offenderit per aliquã causam vel negligentiam propter quam ei consolationem spiritualẽ subtrahat. Sed tamen ille timor debet esse moderat⁹ ne desperet. debet enĩ timor esse filialis non seruilis sicut puer timet patrem ⁊ tamen cum hoc ipsum diligit. vnde dicit beatus Greg⁹. super Cañ. Sponsus quandoq; abscondit se ab anima vt ardentius eum econuerso querat ⁊ dum inuenerit ecõuerso diligentius ⁊ cautius eum custodiat. Quarta causa ne homo nimiuz destrueretur. quia si semper haberet illam gratiam vel dulcedinem spiritualem semper vellet orare ieiunare vigilare ⁊ alios labores facere. quia quicquid in tali gratia faceret. semper sibi dulce ⁊ delectabile esset. et sic se homo destrueret. vt ergo hominis obseq̃um sit rationabile. deus aliquãdo subtrahit homini dulcedinem gratie ne nimium debilitetur. Sunt enim aliqui in principio adeo feruẽtes ꝙ nimium destruunt se ⁊ faciunt sibi capita debilia ⁊ fatua ꝙ postea nihil possunt. Et de illis necesse est vt aliquando gratia subtrabetur. Quĩta causa ne proximus contemnatur. Sunt eniz aliqui quando deus eis facit aliquam gratiam statim iudicant ⁊ despiciunt alios. qui si forte haberent illam gratiam plus facerent q̃ ipsi. Sed talibus minus perfectis deberent compati. Quia fm Greg. vera iusticia compassionem habet. Sexta causa vt homo nõ tedietur. Sũt enim aliqui qui data gratia non vtuntur ad bonum sed tepidi fiunt ⁊ tediosi. Contra quos dicit apostolus. ij. Cor. vj. Hortamur vos ne in vacuum gratiam dei recipiatis. Et hi exquo volunt inutiles esse necesse ẽ vt gratia eis data subtrahatur. Sicut factum est seruo illi pigro q̃ cũ talento domini sui nihil operatus est sed fodit ĩ terram. propter quod talentum ab eo fuit ablatum. ⁊ illi qui habuit decez talenta datũ Mat. xxv. Septimo si consolatio mundana admittatur. quando enim homo querit consolationem et delectationem mundanam seu in delectabilibus mundi tunc subtrahitur ei gratia et consolatio spiritussancti. Quia dicit Bernũ. Delicata est diuina gratia et consolatio ⁊ non datur admittentibus alienam. Exemplum huius patet in tribus regibus quos stella adduxit ab oriente. qui dum hierusalem intrauerunt querentes de iudeorum rege vbi natus esset? stellam perdiderunt. Matth. ij. Super quo dicit Greg⁹. ꝙ dum magi quesierunt consilium humanuz p̃ diderunt consilium diuinum. Quidam enim in mundo isto volunt delectari in cibo. in vestib⁹ preciosis. in amicis. in vxore. in filijs. ⁊ in gaudijs mundanis. et cum hoc etiam querunt delectationes ⁊ consolationes diuinas. ⁊ hi non solum eas perdunt sed etiam seipsos decipiunt. Quia dicit Aug⁹. v. confessio. Gaudium diuine dulcedinis non degustas si carnali delectatiõe cor maculas. Octauo igitur subtrahitur gratia spiritussancti. si in his terrenis nimium occupetur. Nam beatus Greg⁹. conquerebatur quando fuit in monasterio distractus a negocijs secularibus ⁊ quando fuit liber in corde ab illis. tunc magis fuit quietus in corde ⁊ pacificus cũ deo q̃ ante fuit in officio cure pastoralis. Sed quando fuit sublimatus in papam tunc fuit inquietus. ideo petit in pſ. liiij. Quis dabit mihi pennas sicut columbe ⁊ volabo ⁊ requiescam? Nona causa si gratia sibi data alijs reueletur. Quando enim homo reuelat gratiam sibi datã adeo vel iactat se inaniter de donis diuinis tũc amittit eam. Sicut patet de quodam fratre cõuerso qui post multos labores ieiunia ⁊ orationes meruit ꝙ in susceptione venerabilis sacramenti susciperet inenarrabilem dulcedinem et delectationez in ore ⁊ in toto suo corpore ita ꝙ illa dulcedo ⁊ delectatio fuit super omnem delectationem ⁊ dulcedinem mundi. Qui veniẽs ad quendam fratrem petiuit sibi dari osculum ab eo putans ꝙ ille etiam deberet sentire illam dulcedinem. Tunc statim illa dulcedo euanuit ⁊ postea nunq̃ eaz rehabere potuit. idcirco quando homo sentit dulcedinem diuine gratie tunc debet se homo humiliare et in humilitate cordis gratiarumactiones referre. quia supbia ⁊ elatio spiritualis valde est nociua. Quare dicit Isid. de sum. bo. Non te arroges. non te iactes. non te inaniter extollas vel de te presumas. nihil boni tibi tribuas. Nam legitur in vitaspatrum. Fuit quidam frater in quodam monasterio multum verbosus et semel accidit. ꝙ loquendo de non sibi commissis diceret sibi abbas vade ⁊ tace. qui recedens ab abbate cordi suo verba abbatis impressit ⁊ amplius silentium tenuit. Cunq; sic taceret tunc ab intra tantum profecit vt sibi deus quedam secreta reuelaret. accidit vt quidam heremita non longe a monasterio infirmaretur qui misit ad abbatem ꝙ ad eum veniret et sacramentum eucharistie ei ministraret. Cunte autem abbate sumpsit secũ illũ taciturnũ. In via autem quidã latro audiens campanam eos secutus est vsq; ad cellaz heremite manens foras. reputans se indignum

q ad cellam sancti viri introiret. postq̃ autem
heremita confessus esset stans prope ianuaz cũ
humilitate cordis sui dixit. O si essez talis qua
lis tu es. Et heremita in elatione mentis sue di-
xit. hoc libẽter deberes velle q esses talis qua-
lis ego sum. Tunc ille frater taciturnus cepit
amare flere. Postq̃ autem frater z abbas rece-
derent ille latro a remotis cucurrit post eos et
inuocauit deum vt sibi daret contritionem z vi
te emendationem. quia iam proposuit abbati il
li confiteri z amplius nunq̃ peccare velle. z in
cursu veloci cecidit z mortuus est. q ille frater
videns cepit letanter ridere. Cum autem ab-
bas ad monasterium redijsset quesiuit a fratre
quare sic taceret? respõdit. pater semel dixistis
mihi. vade z tace. ab illo die semper tacui nisi fu
issem interrogatus. Et abbas. quare fleuisti cũ
illum sanctum hominem heremitam communi-
caui? et quare risisti cum ille malus latro post
nos cucurrit volens nos spoliare vel forte ne-
care et cadẽdo in suis peccatis obijt? Respon
dit ille. pater causa fletus mei fuit ista. quia cuz
communicasti heremitam istum infirmum latro
stetit foris ianuam dicens in humilitate cordis
O si essem talis qualis tu es. et heremita respõ
dit in elatione mentis. hoc posses libenter vel-
le. et sic mortuus est et damnatus. Sed latro il
le qui post nos cucurrit habuit propositum cõ-
fitendi. non nos spoliandi nec occidendi. et sic
currens cecidit obijt. et angeli animam eius re
ceperunt. et ad celum cum gaudio adduxerunt
quia contritio eius fuit tanta q deleuit penam
z culpam. z ideo risi. ideo nos in humilitate mẽ
tis gratiam nobis datam occulte cum gratia-
rum actione teneamus. nec superbe eã alijs re-
uelemus. vt cum latrone celeste gaudium habe
amus. hic conclude. Quantum ad secundũ tan
git in verbis premissis spiritussancti subtilitatẽ
cum dicit. deducet me in terram rectam. Circa
Q quod nota. homines diuersimode deducuntur
in hac vita. quidam enim ducuntur a spiritu il-
lecebro seu sensualitatis. hi sunt qui non fm ve-
ritatem sed fm passionem viuunt qui non quod
honestum est sed delectabile in omnibus conse
quuntur. sicut ductus fuit ille iuuenis vecors
quem mulier meretrix sermõibus et blandicijs
labiorum protraxit et irretiuit. De quo dicẽ Sa
lomon Prouerb. vij. De fenestra domus mee p
cancellos prospexi iuuenem qui transiuit per
plateas iuxta angulum. et mulier in habitu me
retriceo occurrit ei. z dixit. veni fruamur cupi-
ditatis amplexib̃. z secutus est eaz. Sicut bos
qui ducitur ad victima m. Sed ille spiritus non
ducit in terram rectam celestis patrie sed eter-
ne miserie vbi nullus ordo sed sempiternus hor
ror inhabitat Job. x. Quia fm apostolũ. i. Co-
rinth. vj. Fornicarij adulteri molles masculo-
rum concubitores regnum dei non possidebũt.
glosa. nisi peniteant et a fornicatione cessent.
Nam refert Petrus damiani. et Vincen. libro
xxvj. specu. histo. q vmbertus quidam episco-
pus retulit q in monasterio sancti Siluestri q-
dam monachus obijt. et ab incipiente gallican
tu nocturnalis articuli vsqz ad secundam diei
horam cadauer exanime (fratribus circunqua
qz psallentibus) iacuit. Cunqz ad missam agñ
dei pro eo diceretur surrexit et maledictiones
et contumelias in deum incepit euomere. et in
crucem que sibi oblata erat vt oscularetur con
spuere et beatam virginem Pariam ignomini
osis obprobrijs lacerare. et dixit. Quare, p me
psallitis? nam ego ĩ inferno fui ibi magister me-
us lucifer coronam suam eream in extinguibili
ardore ardentem mihi imposuit. eiusdemqz me
talli clamidem qua induebatur vestiuit. Eratq̃
hec clamis tam feruenter ignita vt guttas vide
retur emittere. Cum fratres eum vt penitenti-
am ageret admonerent. ille anathematizabat z
omnia redemptoris nostri ore sacrilego ꝓdem-
nabat mysteria. Tunc monachi toto corde pro
eo orantes exutis vestibus se verberantes et
pugnis pectora tondentes omnibus quib̃ va
lebant precum generibus insudabant. Et ecce
desperatus ille ad se redijt saluatoris omnipo-
tentiam laudat. sathane ludificationibus abre
nunciat. crucem adorat. penitentiam flagitat.
Confessus est autem q post abrenunciationez
seculi in fornicationem inciderat. q hactenus
celauerat laudansqz z benedicens deuz vsqz ad
alteram diem vixit. z in sancta confessione mi-
grauit. Ecce q iste spiritus sensualitatis z for-
nicationis hunc ad terram miserie finaliter du-
xisset nisi precibus illorum electorum liberat̃
fuisset. Ideo scribit Fulgentius in martilogio. R
q Admeth̃ rex alcescaz duxit in vxorem. con
tigit autem Admethum infirmari consuluit ap
polinem quomodo possit de infirmitate curari
responsum est ei ab appoline q curari non pos-
set nisi aliqua persona de suis propinquis volũ
tarie pro eo morerctur. Quo intellectu alcesca
in mortem sponte obijt z ad inferna descendit.
Quam cum hercules inuenisset ei compatiens
eam ab inferis liberauit. Moraliter hoc expo-
nit Holcot lectione. ccvj. dicens. Mens huma
na et sensualitas adinuicem copulantur sicut
sponsus et sponsa. vir et vxor. infirmatur spiri-
tus quasi vir quando temptationibus varijs
angitur. clamans cum pſ. vj. Miserere mei do
mine quoniam infirmus sum. sana me domine.
z sic orare quando mens temptatur est deum

sapientie pro cõsilio petere vel requirere. respõdet autem deus. q̃ oporteat si spiritu⁹ debet cõsequi salutẽ vnũ de propinq̃s suis mortẽ voluntariam subire. hoc est carnem volũtarijs penis mortificare. quia nisi caro moriatur spiritus vitam gratie non habebit. Et hoc est q̃ dicit̃ ad Roma. viij. Si fm carnem vixeritis moriemini. si autem spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis scilicet vita gratie et glorie. Caro autem per penitentiam rationabilem tandem descendet ad inferos quando in terram de qua facta est naturaliter reuertitur. Sed per herculẽ virtuosum. id est. christum in resurrectione generali resuscitabitur ⁊ viro suo. id est. spiritui p petue coniungitur. Caro enim in hac vita ductrix nostra esse non debet. nec sensualitas ne ĩ illecebris ducamur. Sed magis fm spiritũ debemus ambulare. Juxta illam hortationẽ apostoli ad Gal. v. Spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis. ⁊ ita si spiritu ducemini non eritis sub lege carnis ⁊ concupiscentie que spiritum repugnat. Sicut dicitur ad Roma. vij Video aliam legem in membris meis repugnãtem legi mentis mee. Secundo quidaz sunt qui ducuntur spiritu pernitioso familiaritatis. et hec familiaritas cum vitiosis vitiosa est. et ratio est illius. vt dicit Hugo in soli. de arra anime. Ea est vis amoris vt talem te esse necesse sit quale est id quod amas vt cui per affectum coniungeris in huius similitudinem quodammodo dilectionis societate transformeris. nec mirum quia fm Dionysiuz de di. no. Amor habet quãdam vim extractam vniformiter ⁊ transformatam que non dimittit amatores suijpsius esse sz amatorum. ⁊ ideo sub conditionibus illius qui amat potest quilibet homo describi verisimiliter si tamen eius conditiones cognoscat. Sed iste spiritus pernitiose familiaritatis non ducit in viam rectam sed periculosam ⁊ tandẽ ducit ad mortem temporalem videlicet ⁊ eternam Nam dicit Petrus alphonsus q̃ cum duo clerici transirent ante tabernam in quadam ciuitate in qua erant dulces cantus ⁊ solatia multa. inuitati sunt ab illis qui erant ibi ad potum. vnus dixit non intrabo. quia dicit phiolsoph⁹ non est transeundum per sedem gentis inique. illo vero recedente alter intrauit. ⁊ cuz esset ibi ecce prepositus querens illos qui erant ibi. qz homicidium fecerunt in illo loco. et tam clericum q̃ alios ducere iussit ad suspendium. Cũq̃ ducerentur ait clericus modo scio. sed tarde. q̃ fatuus est ille qui nõ credit phiolsopho de vitãdo malorum consortio. propter societatem enĩ malam hec patiar. ideo signanter scribit Valerius ad Rufum. Ethicum est videto cui des. vult dicere q̃ homo videat cui det bona sua. illud enim est ethicum. id est. ad virtutem moralem pertinens. sicut ad quandam eius partem videlicet ad liberalitatem. Sed videto cui homo dat seipsum per amorem ⁊ familiaritatem ⁊ coniunctionem. hoc est ethicum. non quasi ps sed tota virtus moralis. Istud verbum summe est iuuenibus imprimendum. Unde quidam senex filium suum informans ne familiaritatẽ cũ vitiosa contraheret meretrice sibi dixit. talem nanq̃ foue qualem sibi nectit amorem. Sermo veridicus vt sit ipse alter amicus. ⁊ consequenter explanat senex quem vocat turpem dicens. Turpem tetra cutis nullum faciet nominari. Sed mens polluta factis cupiens maculari. Sed in fine alloquens filium dixit. Ergo caue fili turpatos crimine vili. Ne tu consimili turperis fine senili. Circa hec notandum Aristo. ix. Ethi. c. iij. Mouet tres notabiles questiões ad propositum pertinentes. Prima est ista. ponamus q̃ aliquis contrahat amicitiam cuz aliquo viro probo. et iste postea mutetur ⁊ fiat malus. questio est vtrum amicitia ad talem sit soluenda. Secunda est illa. dato q̃ sic vtrũ statim sit soluenda? vel vtrum homo debeat talem dissolutionem differre. Tertia questio vtrũ ad talem post solutionem amicitie debet se homo habere sicut alienus. ac si nunq̃ fuisset amic⁹? Ad primam questionem respõdet dicẽs duo. Unũ quod est impossibile q̃ ille amet̃ a virtuoso cui⁹ malicia est manifeste vitiosa. Secundum q̃ non debet amare talem. Ratio est quia non est possibile q̃ conseruetur amicitia ad malum vbi nõ causatur aliqua similitudo amicitie. Ad secundam questionem distinguit. quia talis fact⁹ malus vel omnino insanabilis est q̃ non potest reduci ad statum salutis vel virtutis. Vel potest reduci ad virtutis statum. Si secundum nõ debet homo abijcere statim amicum. sed exhortari ad hoc q̃ recuperet bonos mores. Et multo magis debet amicus talem iuuare recuperãdo eum q̃ recuperando diuitias. quia virtus ẽ magis bonum q̃ aliqua substantia temporalis. Si vero sit omnino insanabilis sicut sunt inuteratí dierum malorum statim debet amicitia ad talem dissolui. nec est inconueniens hoc facere q̃ non sit vnitus tali vitioso virtuosus. Quia dicit Aristo. in eo. c. q̃ illi qui se simulant virtuosos vt amicitiam contrahant cum virtuosis et tamen sunt latenter mali sunt minus accipiendi q̃ illi qui corrumpunt nummismata. quia q̃to horribilius est vitium q̃ falsa pecunia. tanto qui false simulant vtutes maligniores sunt q̃ q̃

S

T

fingunt monetam falsam. Ad tertiã questionez
rñdet. q̃ aut fit amicitie dissolutio ꝓpter mino
rem bonitatem. aut ꝓpter abundantẽ maliciaz
Si secũdo modo nihil debet homo familiarita-
tis exhibere tali quasi cuicunq̃ extraneo quia
eum decepit et verecundum fecit. Verecundum
enim virtuoso non est amicum vitiosum fugisse.
Si primo modo fiat dissolutio amicitie sicut fit
de duobus quorum vnus stat in gradu remisse
virtutis. ⁊ alius proficit ad gradum intensum.
tunc enim non est possibile q̃ proficiẽs ꝓm ami-
citiam ad non proficientem iungatur ꝓm Ari-
stoti. quia non de eisdem gaudent ⁊ tristantur
quod est proprium amicorum. Et in tali casu de
bet homo se magis exhibere beniuolum propt̃
preteritam amicitiam q̃ si nunq̃ fuissent ami-
ci. Illi vero insanabiles sunt omnino abijciendi
a commumione beniuolorum vel virtuosorum
quantum possibile est et non curandum est q̃
eis displiceãt vel eos offendant. Quia virtuo-
so semper debet esse propositum pessimis displi
cere. Sicut dicit Boetius. j. de consola. hoc est
ergo ꝓm Aristo. q̃ maxime virtuoso vitandum
est. tam propter conscientiam q̃ propter famã
scilicet familiaritas ad personas corruptas et
infectas per quas multi innocentes corrupti ⁊
abominabiles facti sunt ⁊ abducti a vtute. ⁊ tã
dem a serenitate conscientie sue quorum quili-
bet potest dicere illud Biere. xxxviij. Deduxe-
runt te ⁊ preualuerũt aduersum te viri pacifici
tui demerserunt te in sceno et in lubrico pedes
tuos et recesserunt. De tali etiam peruerso du-
ctore dicit Salomon. Prouerb. xvj. Vir iniqus
lactat amicum et perducit eum per viam nõ bo
nam. de vitãda etiam societate malorum q̃ du-
cunt homines ad viam malicíosam. loquit̃ Se-
neca ad Lucillum episcopum. xvj. Si vis pere-
grinationes tuas habere iocundas comitẽ bo-
num sume sane habebit te auaricia q̃diu auaro
sordidoq̃ coniunxeris habebit te timor q̃diu
superbo conuersaberis. Tertio quidam dedu-
U. cuntur spiritu p̃sumptuose temeritatẽ sicut sunt
pleriq̃ imperiti qui proprio sensui statim adhe
rent. Quia dicit Vegetius de re militari libro. j
Imperita rusticitas plurima permutat ⁊ credit
disserere quod nescit. et ideo propter inexperi-
entiam passio iuuentutis est presumptio. Timi-
ditas vero est passio senectutis. sicut dicit Ari-
sto. xij. rethorice sue. De talibus verificat̃ illõ
Matth. xv. Ceci facti sunt duces eorum. Ta-
les etiam sunt qui proprie fortitudini vel viri-
bus innitentes non recommendant se deo nec
diuinum implorant auxilium. sicut eos docuit
christus. Matth. vj. Et ne nos inducas in tem
ptationem. Tales sunt qui se ingerunt pericu-
lis temptationum male societati se immiscent.
suspecta consortia non refugiũt. et ideo cito ca-
dunt. horum figuraz gessit Petrus qui proprie
infirmitatis ignarus dixit christo. ⁊ si oportue-
rit me mori tecum non te negabo. Matth. xxvj
Iste vero eadem nocte se ingerens male societa
ti curialium et mulierum christum ter negauit.
Tales sunt multum se iactantes de castitate et
continentia et alios qui cadunt contemnentes
⁊ ipsimet in modica temptatione temptati ⁊ ve-
xati facilime capiuntur. Sed boni ⁊ sancti ho-
mines deo se continue recommendant. sciẽtes
q̃ diuina bonitas est et non sua si contra tem-
ptationes resistunt. ⁊ ideo signanter dixit Job
xxxj. Si osculatus sum manum meam ori meo
que est iniquitas maxima ⁊ negatio contra do-
minum altissimum. vbi glosa dicit. Osculari ma
num est bonum nature vel gratie a deo conces-
suz meritis humanis tribuere. Unde qui opera
bona faciunt ⁊ illa deo non attribunt. sed vir-
tuti naturali ⁊ prudentie proprie. hi deum qui
est bonitas a quo omne bonuz deriuatur negãt
Tales etiam sunt qui inualitudinem suam mint
me ꝓpendẽtes spiritu presumptionis in altũ di-
gnitatis summe se extollunt. et tandem deficiẽ-
tes cadunt ⁊ se in anima letaliter confringunt.
Cuius probationem ponit Quadapartitus. li.
ij. ca. iiij. dicens. Aleuat⁹ strutio pedis officio
cum ascendisset in montem cernens volucres ĩ
liquidum aerem ale pennate se agilitate diffun-
dere presumptionem sumens ex penna. idipsuz
voluit attemptare cum anhelationis spiritu pa
raret se mittere. id gallina prospicens sic ferẽ
ei dixisse. tene locum tuum charissime ⁊ caue ne
penna presumptionis tue tybiã amittas vtutis
Cuius scilicet vilipendens humilis scz galline
salutare consilium mox respondit. Tace miser-
rima que cum posses validitate pennaruz altis
et lucidis perfrui grauitate pauperis peccato-
ris lutum colis. Quo dicto cordis vigore pre-
sumptuose se cum impetu mouit sic emittẽs fla-
tum alarum mentientem. statera vero pondere
corruit et sui oneris descensu rabido totum se
confregit. tunc ad vlulatum dolentis gnara rei
gallina descendens ad euz pede tuto venit ⁊ di
xit ei inter cetera. Non attẽdisti q̃ presumptio
dum nimis extendit disiungit: dum erigit diru-
it: cuz ante ponit postponit. ⁊ infra. Ita tue va
litudinis metas age. vt extra metam tue longi-
tudinis te nolis extendere. Onus sume q̃ pos
sis ferre. et id bibe quod possis digerere. Are-

pat enim improportionatum suis viribus pondus leuare qui nititur et caput inebriat. Si immoderate vinũ bibatur. Moraliter strutio elatus ascendens in montem significat presumptuosum peccatorem in montem celi ascendentem et alta diuine excellentie scrutari volentẽ. Contra illud Eccĩ.iij. Altiora te ne quesieris ⁊ fortiora te ne scrutatus fueris. sed que precepit tibi deus cogita. et in pluribus eius operibus ne fueris curiosus. Non enim necessarium est ea que in abscondito sunt videre oculis tuis. Per gallinam autem intellige christum qui dicit Mat. xxiij. Quotiens volui congregare te sicut gallina congregat pullos suos sub alis et noluisti. Ista quidem gallina christus dominus noster disuadet homini presumptionem. per hoc p̃mo ꝙ tamdiu distulit incarnari vt presumptio ĩ homine destrueretur. Secundo per hoc ꝙ aliquãdo viros sanctos cadere permittit in aliquod manifestum peccatum mortale. ne de se presumant. De hoc etiam dicit Augustinus. Audeo dicere superbis esse vtile cadere in aliquod manifestum ⁊ apertum peccatum. vnde sibi displiceant qui sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus cum fleuit displicuit q̃ placuit qñ presumpsit. Tertio per hoc ꝙ presumentibus auxilium suum subtrahit et subtracto eius auxilio homo in bono non proficit. et tandem in malum corruit. Ad primum pertinet illud Judith.vj. Presumentes de se ⁊ de sua virtute gloriantes humilias. Ad secundum pertinet illud Aug̃. super illud verbum ps̃.lxvij. Infirmata est tu vero perfecisti eam. non inquit infirmaretur animus. si nõ firmaretur. Per hec tria christus suadet homini ne presumat. Si autem homo ip̃e audire noluerit ⁊ presumptuose alta maiestatis scrutari voluerit in anima sua se frãgit et collidit. quia dicitur Prouerb̃.xxv. Qui per scrutator est maiestatis opprimetur a gloria. Et sicut gallina presumptionem strutionis irridebat. Sic christus presumptuosos subsannabit. Juxta illud ps̃.ij. Qui habitat in celis subsannabit eos. Quarto quidam deducuntur spiritu maliciose seueritatis sicut nobiles ⁊ potentes. qui latera sua stipant maliciosis consiliatoribus quorum instigationibus ad iniurias varias pauperum agitantur. nunc ad ipsorum depredationes. nunc ad iniustas exactiones. nũc ad iniquas seditiones. per quas respublica dissipatur. et pax ciuilis perturbatur. ideo verificatur illud Esa.v. Propterea captiuus est populus meus. quia non habuit scientiam et nobiles eius interierunt fame. et multitudo eiꝰ siti exaruit. Propterea dilatauit infernus animã suaꝫ ⁊c̃. Et hec est prophetia tã de culpa p̃terita q̃ de vltione futura. Hoc quidam spiritu maliciose seueritatis deducunt etiam quidam parentes pueros suos nimis seuere corrigentes quorum vnus dictus fuit Brucus. qui dum debebat filios suos castigare eos ad palum alligauit ⁊ seuere et immisericorditer verberauit. Alius fuit dictus Cassio qui filium suum corrigere volens necare precepit. vt recitat Valeriꝰ in palicraton.li.v.c.vj. Iste spiritus maliciose seueritatis non ducit ad terram rectam scilicet bone vite. Sed interdum maliciose. Sicut de hoc legitur in gestis Anshel̃. Quod ideꝫ refert Vincentius in speculo histo. li.xxvj.c.xx. Qd̃ quidam abbas semel conferebat cum Anshelmo. quid fieret de pueris in claustro enutritis? Non cessamus inquit abbas die ac nocte eos verberare ⁊ semper fiunt deteriores. Ad quem Anshelmus q̃ bene nutrimentum vestrum expenditis qui de hominibus bestias facitis. dic mihi queso abbas. Si plantam in orto tuo plãtares ⁊ mox illam ex omni parte concluderes vt ramos suos nullatenus extendere posset q̃lis arbor inde prodiret profecto inutilis ⁊ cum ramis perplexis. Sic vos tantum minis et terroribus pueros coartatis. vt nullus ex eis liceat penitꝰ potiri libertate. vnde fit ꝙ nihil amoris pietatis ⁊ dulcedinis circa se in vobis sentiunt. nec illi alicuius boni in vobis postea fideꝫ habebunt. Accidit vt sicut crescunt in corpore sic et modo in sensuali ⁊ suspitione mala crescũt. Cunqꝫ a nullo fuerint in vera charitate enutriti. nullum nisi depressis supercilijs oculorũ obliquo vultu valeant intueri. hec Anshel̃. ideo dicit etiam Cassianus libro collationum. vidi enĩ ꝙ ruinam sepe intulit multorum nimia asperitas prelatorum. Quinto deducuntur quidam spiritu vigorose benignitatis. Sicut hi q̃ erant in deserto videlicet iudei de egypto exeuntes quos dominus ex sua benignitate vigorose precedente columna nubis deduxit per desertum. de quo Exod̃.xiij. Dominꝰ autem precedebat eos ad ostendendum viam per diem in columna nubis ⁊ in columna ignis per noctem vt dux esset vtroqꝫ tempore. Quod commemorat Dauid ps̃ ciiij. Expandit nubem in protectionẽ eorum ⁊ ignem vt luceret eis p̃ noctem. Moraliter per filios israel intellige homines christianos. Sed per nubem qui eos precedebat subaudi spiritũsanctũ primo. qꝛ nubes in terra vel

in mari eleuat. Juxta illud.iij.Reg.xviij. Ecce nubecula parua ascendebat de mari. Sic et spūssanctꝰ quos repleuit eleuat a terrenis ⁊ cōtemptu terrenorum ad cōtemplationē eternorum ⁊ supernorū. Juxta illud Ezech.viij. Eleuauit me spiritus inter celum ⁊ terrā.ideo dixit Fortunatꝰ in omel. Eos quos spūssanctꝰ humiles inuenerit ad alta felicitatis beatitudinisq; sustollit. Secundo sicut nubes refrigeriū p̄stat. Sic spūssanctꝰ refrigerat cōtra incentiua vitiorum.vñ angelus dixit Marie Luc.j. Spūssanctus supueniet in te.⁊ virtus altissimi obumbrabit tibi.id est.ab omni estu vitiorū te refrigerabit. Tertio sicut ex nube pluuie generant. Sic spiritussanctus resoluit animam in abundantiā lachrymarum siue in compunctionē siue ī orationem. Juxta illud ad Roma.viij. Nos primitias spiritus habentes.id est.spiritumsanctum in maiori plenitudine et ipsi intra nos gemimꝰ. Modo ad propositum sicut deus deduxit filios israel per columnam nubis de egypto exeūtes versus terram promissionis. Sic deus pat ⁊ deus filius deducet nos de egypto huiꝰ mundi ad terram que fluit lacte christi humanitatis ⁊ melle suauissime deitatis precedente nos spiritusancto. Ipse enim spiritussanctus deducit egredientium animas ne in infernū cadant eas tenendo. Juxta illud ps̄.lxxij. Tenuisti manū dexteram meam. et in voluntate tua deduxisti me ⁊ cū gloria suscepisti me. Deducet eas deniq; ne in purgatorium circumeant ipsas benigne dirigendo. Juxta illud ps̄.xxij. Deduxisti me per semitas iusticie.vbi dicit glosa. per semitas iusticie ducitur qui ad regnum sine purgatorio trāsit. Deducit ipsas vltimo ne in via diabolum videant eas pie custodiendo.vellet eniz diabolus animas sanctas in via deterrere si nō in pace spiritussancti deducerentur. Ideo dixit Esa.lx. In leticia egrediemini de corporibꝰ vestris. O anime sancte. Et ī pace deducemini scilicet in vitam eternam ad quam nos perducat.

Fetia tertia pentecostes.
Sermo secundus.

AMen dico vobis qui non intrat per hostium in ouile.sed ascendit aliunde hic fur est et latro. Qui autem intrat per hostium pastor est ouium. huic hostiarius aperiet et oues vocem eius audient. Joh.x. Est commune prouerbium. Non omne quod splendet in igne est aurum.quia cuprum in igne dissolutum splendet.et tamen aurum non est. Sic etiam. Nō omne quod in mari videtur insula vel mons est. Quia refert autor proprietatum libro.xvj.ca. de piscibus. Quod cetus postq̄ senuerit nititur in mari quiescere ⁊ ex quiete sine motu facta p multos annos ex ebulitione maris et pulueribus massa terre super eo congregatur. et tunc ibi frutecta crescunt. Quod naute videntes sperant ibi bonum fundum haberi ⁊ montem esse applicant se cum nauibus suis.⁊ ignem componunt ad cibaria decoquenda.quem quidē ignē cetus per massam terre presentiens cedit ⁊ omnes submergit. Et q̄ hoc sit verum scribit Vincentius in speculo historiali libro.xxij. capitulo.lxxxxviij. Dum sanctus Brandanus alias dictus Matures in mari nauigaret accedente die pasce vidit quandam insulam super cetum et nauim applicauit. ibiq; missam celebrauit. Cunq; missam caneret.et ad dominicam orationem peruenisset.tota insula commota est.belua illa se mouente. Timentes igitur se mergēdos clamauerunt.vir autem dei stans imperterritus finiuit missam.et post socios confortare cepit.tunc diffugientibus cunctis ad nauim stans in oratione se prostrauit. rogans dominum vt cetum illum immobilem faceret. quousq; congregatio fratrum euaderet. quod et factum est Ex his patet q̄ aliquando videtur aliquid splēdere tanquam aurum.et esse velut mons. cum tamen neq; aurum neq; mons extet. Ita etiam est moraliter in sancta ecclesia in qua quidam apparent magni velut montes per fictam sanctitatem.ita vt in iudicio humano videntur electi.cum tamen in conspectu altissimi sint reprobati. Quia dicit Gregorius et ponitur.xj.q.j. capitulo. Sacerdotibus. Multa inquit sunt q̄ homines de iudicio dei ignorant quia fortassis que vos laudatis ille reprehendit.et que vos reprehenditis ille laudabit. ⁊ hoc probatur in figura.j. Regum.xvj. vbi legitur q̄ dominus miserat Samuelem iniungere regem vnum de filijs Esaie veniens ergo Helias vidit primogenitum procerum corpore et pre alijs pulchrum quem in regem vngere voluit quasi electum. et dominus ad Samuelem. Non inquit respicies vultum eius neq; altitudinem stature eius quoniam abieci eum. Ex quo patet q̄ iudicium humanum interdum fallitur quo ad electionem. Sed nouit deus solus qui intuetur cor qui digni sunt et quibus voluerit misericorditer reuelare. Ponit tamen dominꝰ in p̄nti verꝫ signū p q̄d cognoscere pōt q̄libet electum